



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

5. De ardenti desiderio Christi anhelantis ad passionem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

perfectissimis illius desiderijs vnita  
 ipsi perficienda commenda.

V. *De ardenti desiderio Christi anhelantis  
 ad passionem.*

I. **E**Xpende quàm ardens fuerit Filij  
 Dei patiendi desiderium ab ini-  
 tio Conceptionis , imò ab æterno,  
 quando acceptauit imperium Patris de  
 perficiendo opere redemptionis hu-  
 manæ per mortem crucis : eò dubio  
 procul ardentius, quò clarius videbat,  
 id cessurum ad maximam Patris Ele-  
 ctorumque gloriam ; & quò tenerius  
 eundem , & propter ipsum , Electos  
 omnes diligebat, ita vt iam tunc totis  
 præcordiorum affectibus exclamare  
 videretur : desiderio desidero omnia,  
 quæ mihi ab æterno præfinita sunt, pa-  
 ti; illudi, flagellari, crucifigi, mori; absit  
 mihi gloriari, nisi in alapis, flagellis,  
 opprobrijs, morte crucis. O quam im-  
 mensa Christi in nos charitas, quæ, vt  
 copiosissima esset nostra redemptio,  
 impulit illum , non semel tantum pati  
 pro nobis , sed penè infinites voto ac-  
 desiderio ! Redama sic amantem, se-  
 quere per exercitium perfectæ religio-  
 natio.

nationis ad passionem anhelantem.

II. Quanto feruore hoc desiderium suum renouârit, & centies iterârit, quotiescunq; Ierosolymam veniebat; loca, in quibus passurus erat, oculis lustiabat: nempe montem Oliuarum, Caluarix, vallem Iosaphat, montem Sion, palatium Caiphæ, prætorium Pilati, regiam Herodis; simulque omnia, & singula, quæ istic passurus erat, in numero, pondere, & mensura, quasi eorum cernebat, & viuacissimè apprehendebat. Quoties, quam feruenter se æterno Patri obtulerit ad illa omnia; quæ æterno decreto præfinita sciebat, perferenda? Quam meritò & tû, quotiescunque vel arma passionis, vel imagines Christi patientis intuens, illius recordaris, heroica desideria, ardua quæque pro illius gloria promptè patiendi, imò vltro appetendi, renouare deberes?

III. Quanto demum ex intimis præcordiorum medullis affectu hoc idem desiderium instaurârit, & millies frequentarit sub ipsum illud expectatissimum tempus, quo ex decreto Patris omnia, quæ de sua passione tot figurarum tenebris præfigurata, tot proci-  
 N. 3. p. 111.

phetiarum inuolucris prædicta fuerant, erat completurus? Quanto gaudio exultarit *vi gias ad currendam viam suam*. Viam, inquam, passionis ac crucis, ad quam decurrendam exultans in terras descendit, è sinu Patris? dubio procul multo maiore alacritate & gaudio, quam vllus sanctorum Martyrum, quantumuis feruentium, ad tormenta pro ipso perferenda anhelarit? Renoua & tu desiderium propositumque patienter, libenter, gaudenter omnia, quantumuis molesta, aspera, sensualitati, propriæ existimationi, immò ipsis etiam naturæ omnimodo contraria de paterna Dei manu acceptandi, maximè instante occasione tale quid patiendi.

VI, *De consilio Iudaorum contra Christum habito. Matth. 26.*

I. **C**Hristus clarè intuens inuidiam, malignitatem, rabiemque in necem suam conspirantium, proditorium Iudæ animum, totumque instantis passionis successum, iterum præmonuit discipulos, inquit, *Scitis quia*

*Matth. 26*